DE IMAGINANDI VIS IN PHYSICUM HOMINIS STATUM EFFICACIA DISSERTATIO...

Antonio Guerini

Digitized by Google

DE

IMAGINANDI VIS

IN PHYSICUM HOMINIS STATUM EFFICACIA

DISSERTATIO

QUAM

IN CELEBERRIMO ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD LAUREAM

IN MEDICINA ET CHIRURGIA

RITE CONSEQUENDAM OFFEREBAT

ANTONIUS GUERINI

BRIXIENSIS

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Inter tot opera, quae homo in vitae curriculo conficit, quibusque animalia ipsa in physica corporis conformatione, eidem proxima longe praestat, intellectus opera majorem habent admirationem, et multiplici varietate, et celeritate summa vicissitudinum, atque ideo praecipue, quia operibus ipsis ad corpora, eorundemque organa, tantummodo servanda, aut in integrum constitutionis, ac dexteritatis statum restituenda spectantibus maximum afferunt emolumentum. Mirifica hujuscemodi opera ex anima in maximo nervosi systematis centro constituta originem profecto ducunt, quod quidem centrum, nisi cerebrum sit, cerebro saltem propius cohaerescit: et tunc ex anima promanant, cum ipsa varie vehemens intenditur, et magis minusve lubenter ad eas impressiones applicatur, quae uno eodemque tempore ab externis corporibus fiunt in plurimas partes jam illis obnoxias, ipsoque momento per nervos ad centrum maximum, atque illinc per alios nervos ad omnia animalis motus organa transmittuntur.

Omnes hic animadversiones missas faciam, quibus innixi recentes physiologi probare contenderunt, quemadmodum anima impressiones

Digitized by Google

simul receptas, et veluti in unum in centrum maximum agglomeratas distinguens non modo varia directione, vi ac multitudine qua perveniunt, sed mutationibus etiam celerrimis, quibus in centro maximo earum congeries subigitur, quemadmodum, inquam, anima diversas, quae omnino respondeant sensationes, ideas, affectiones constitutionesque homini queat suppeditare, quarum unaquaeque a centro maximo ad organa animalis motus procedens impressiones ipsas manifestat, dum interea variis motibus praebet occasionem, qui una collecti ad sensationum, idearum, affectuum, et constitutionum varietatem referuntur. Satis tantum habebo affirmare, imaginandi vim omnibus intellectus operibus antecellere tum quia multimodis ac celeriter sese prodit, tum quia aliorum omnium operum maximam partem sibi vindicat.

Imaginandi vis ex illa associatione derivatur, quam facta omnia confirmant ab impressionibus obtineri prout ipsae aut crebrius, aut simul transmissae fuerint vel aliae aliis statim successerint, vel in centro maximo fuerint alacriter immutatae: quae quidem associatio in causa est, quamobrem una ex ipsis iterum facta transmittatur, redintegrentur aliae sine cunctatione, ita ut ab anima pari celeritate distinctae continuas sensuum, idearum, affectuum, constitutionum series, seriesque dehinc motuum animalium illis respondentes excitandi praebeant occasionem. Istiusmodi opus simplex memoriae nomen sibi sumit, tum cum impressiones eodem ordine quo alias transmissae, et semel iterumque editae fuerunt, accurate renovantur; verum

Digitized by Google

sicut ipsa impressio saepe debet eodem, ac diversae impressiones, tempore usuvenire, et dum ipsae ad centrum maximum trasmittuntur, et dum in hoc centro deinceps variantur; ita inter associationis vim, et consequentem alacrem instaurationem paucissimum discriminis intercedet: qua de re quin impressiones ipsas aut eodem tempore, aut illico subsequente alias contigisse innotescat, earum redintegratio nova quaedam associatio immo, paene dixerim, nova creatio videtur, ipsaque tunc pristino suo significantiori ac nobiliori nomine imaginandi vis nuncupatur.

Certum vero indubitatumque est, pueros, et nonnullos etiam adultos, qui plurimis ac diversis ejusdem momenti impressionibus aut nondum crebro subjecti fuere, aut subjici nondum queunt, eosque ipsos, qui in illis diligenter, ac aequali ordine renovandis se exercent, memoriam potius proprie dictam, quam imaginandi vim patefacere. Verum huc accedit quod homo quilibet (sine dubitatione asseram) dum annis progreditur, dum variis multisque objicitur impressionibus per unam tantummodo imaginandi vim majori aut laetitia, aut solatio affici possit, cum interea intimos ac dissimiles sensus qui prorsus respondet, ac praecipue animi pathemata experiatur. Quomodocumque res sese habeat, haec imaginandi vis, in qua varias modificationes gignit diversa attentionis intentio, quam adhibet toties anima, quoties in centrum maximum impressiones trasmittuntur, ibique fiunt ac renovantur, haec, inquam, imaginandi vis maxime juvat ad quaecumque

Digitized by Google

592

intellectus opera, et ad illa etiam quae efficiunt, ut individuum ejusque organa in normali compositione ac dexteritate serventur. Et re quidem vera impressiones omnes in centrum maximum transmissae, ibique aglomeratae, commutataeque effectum important imaginandi vis efficaciam, et quoad robur, et quoad complexum variandi: sed omnes illae impressiones per ceteros nervos a centro maximo transmittuntur non modo ad scheletri toros, qui omnia intellectus opera aptius palam faciunt, et ad cunctas etiam cavitatum, et ductuum parietes, per quos alimenta, et animalia fluida quodam progressu moventur, et ordinatim illas formas accipiunt, quibus ad extremum nutritii humores constant ad diversas partes accommodati, unde quotidianae solidorum textuum jacturae reserciantur, atque hinc universa organa conserventur, et ad normalem reddantur constitutionem ac dexteritatem.

Ex his, quae perstrinxi, auditores spectatissimi, luce clarius patet, me nunc vobis sermonem habere velle de imaginandi vis efficacia tum quoad moralia, tum quoad physica vitae opera, atque hinc tum ad vires illis addendas, tum ad praebendam interdum nonnullis morbis occasionem. Si hoc mihi in praesens sumo, ut de imaginandi vis in hominis conditionem efficacia vobis loquar, audacissimus fortasse videbor, hoc praesertim tempore, quo summi tot viri in physiologia splendidissime florent; sed varia majoris momenti facta, quae maximam hujusmodi efficaciam declarant, aliquo pacto digerens, in eam spem adducor, fore ut mea

Digitized by Google

oratio haud prorsus incassum habita fuerit, aequoque animo mea teneritas fuerit excepta a viris doctissimis tanta animi bonitate praeditis ad studia potissimum juventutis fovenda.

Imaginandi vis igitur ex rebus quae adsunt, quaeque tam mirifice variae, in immensa hac terrae vastitate observantur exorta, exculta dehinc ab homine cum in rebus per totum orbem diffusis diligenti studio immoratur, efficit procul dubio, ut ipse hinc audax, illinc contemplans huic se totum dedat, eamque in sublimibus, mirisque volatibus persequatur. Quidquid in illa ingentem animi motum producere valet, eum adeo commovet atque extollit, ut ipse, propemodum dispaletur impos sui. Praeteritum veluti praesens, futurum aeque ac si ob oculos habeat, depingit, atque omnibus animam, vitamque affert. Hic pictor universitatis pulcritudines aemulatur, ac heroum gesta ad memoriam propagat sempiternam, et laetatur pictura; illic sculptor Coi Veneres, et Elidis Apollines vita donat, terrae reges aeternat, et religionis simulacra populis exhibet adoranda: hinc orator sontibus terrorem incutit innocui tutatus jura, et Astreae lancem regum pietati committens: hinc poeta Achillis dissidia, Aeneae fugam, firmum Gotofredi animum Henrici virtutem, optimi maximi potentiam armonico celebrat tubarum cithararumque concentu, iisque numeris ac coloribus uti gaudet, quos ex imaginandi vis tabella ausit. Neque hac tantummodo artibus ac pulcris litteris opus est; sed et severae scientiae eadem ornantur, et venustiori adspectu animos levant, ac quasi titillant

Digitized by Google

pulcri, et abstractarum meditationum amantissimos. Verum adhuc imaginandi vis non nisi ex aequabili ac moderata nervosi systematis elatione derivatur, ejusdemque productiones blandam illam praeseferunt concinnitatem, quae adeo perplacet, tantumque omnibus affert oblectamenti. Quod si haec ulterius procedens in maximum sensuum organum ideas imprimat giganteas, omnia tunc variat, et ad libitum vertit; at rem sibi non deditam, aut partim indecoram nacta, omnia tunc morbosi incitamenti phaenomena oriri videt, tristitias praeterea omnes, laetitiasque illa anima dignas, quae helleboro citius, quam quolibet alio medicamine curanda videtur.

Id temporis cerebrum par musico variarum fidium instrumento non nisi per imaginandi vis filum respondet, ceteraeque omnes ejusdem facultates sine ulla fere aequa directione vilescunt. Physicus partium textus, qui et vitam ac motum a nervis sortitur, hisce remanet destitutus, ejusdemque nobiles attributiones se flocci fieri sinunt. Hinc in harum fronte humili morbosae affectionis impressione obsignata, eorum consequitur turpitudo; qui sese in blanditias ac aegritudines amarissimas pacato animo ingurgitarunt. Et re tam luculenter perspecta, etiamne aliqui erunt, qui moralium facultatum in physicas imperium inficiabuntur? Jam Cabanis vir summus ac facundus, et hujusce argumenti peritissimus arcanum liquido explicuit, et ad veritatem pervicacibus hisce incredulis viam stravit. Illustris quoque Alibert in eximia oratione: *De l' influence des causes*

Digitized by Google

politiques sur le maladies (1), clara exhibnit talis imperii specimina. Enimvero si paululum ratiocinari velimus, persuasum illico habebimus hoc imperium reipsa non hypotetice ab imaginandi vi exerceri.

Inspiciamus homines admodum incultos per deserta catervatim vagari, rudia quorum ingenia ascia tantummodo, et serra construere domunculam satis habent, et peragratos tot campos colere negligunt. Insuper eosdem videbimus expertes notionibus scitae ac ordinatae societati peridoneis, millia ac millia rerum absque ordine ac ratione sibi comparare.

Istorum animi, qui sententias concipere, spiritum recreare meditationibus, et recte ratiocinari minime valent, externis modo impressionibus explentur, quas illis physica conditio suppeditat, et aurae spirabilis, et soli quoque habitati, et maris trajecti, et montium denique, quos ipsi insane atque incomposite superarunt. Istis et fulmen sufficit veloci crepitu caeli orbes excurrens, et tonitru horribili fragore inter nubila perstrepens, et fulgur placide serpens, subitoque evanescens, et concinnae meteorae, quae purum identidem caelum eleganter exornant. At homo socialis non modo fraterni amoris, sed ceteris quoque suae speciei vinculis obstrictus, explicatis jam ideis, quae rudes in silvestri statu jacebant, novis pulcrior portentis, postquam obscura detexit arcana, et legum naturam indagavit, inter eas assidet imperator, et in universas res ad lu-

(1) Vedi Magasin encyclopédique an IV. T. V. pag. 298.

Digitized by Google

bidinem dominatur. Aucta magis in illo sentiendi perfectione novas ac lenes experitur pulcri sensationes, illudque in naturae operibus obstupescit. Hinc vivacior ac magis emicans ejus imaginandi vis ad mirum sibi viam sternit, et ad contemplationem pennis altissimae mentis suffultam. Hic scientiis artibusque se dedit, quae studia exigunt diuturna, hic mercaturae tot sollicitudinibus plenae, hic perspicax metaphysicus altis meditationibus distinetur, hic solers logicus aberrat audacissimus inter hypotheses: nunc gelidae mathesi vacat, et inter libros languescit: nunc astronomiae, et Pythagorae sequitur deliramenta: itaque artes omnes illico gaudet profiteri ac tali ratione, quae humanae nocet valetudini, cultis tamen hominibus pernecessaria. Huc luxus accedit, qui mollis ad Persarum tempora, ad spectacula cum Graecis certantia revocatur, ad invenustam fabulosarum narrationum evolutionem, quae spiritus rapiens tristissimorum morborum veluti fons inexhaustus haberi debet. Universae hujusmodi causae in physicum hominis statum morbosam exercent impressionem vel nimium efficaces sint, vel mites: sed ad multum temporis durare videntur. Idque facto in integrum mihi erit comprobare. Lyrae fidens poeta, hac notas cedro dignas tanquam canorus cycnus modulatur, huic totum se consecrat ac donat. Alpestres montes, et vetustas arces, heroum medii aevi perfugium, somniat, Ildegondae moerores, ac Pauli desperationem sibi fingit, et nihil aliud praeter haec conspicatur. Nequidquam ratio inclamat eum viam

Digitized by Google

incoeptam praetergredi, et grati loco solaminis impressa potius morbi signa adipisci. Hinc ipse ineptias loqui, et tristitia affici hypochondriaca, quae citissime in terribilem abit insaniam. Idque usuvenit, quod sensuum systema morbi vi extollitur, quodque haec elatio ad illam tororum, ac deinceps per mixtum organicum transmittitur, unde facultates omnes accipiunt detrimentum. Ob morbosam hanc sensuum systematis elationem: Socrates suo lateri genium peculiarem tanquam consultorem inhaerere prospiciebat: Pascalius ignis globos in oculis habebat: Eugenius vitrea sua crura lamentabatur: Audiebat Cartesius supernas voces et mystica somnia faciebat: Tassus daemonem perhorrescebat, quem sibi lateri adesse arbitrabatur. Tot incommodorum multitudo de quibus hypochondriaci conqueruntur, et gravissimae etiam turbae in textis muscularibus excitatae, a quibus plurimum damni datur ventriculi, et organorum omnium, eidem affinium operibus inter tristes effectus recenseri debent, qui ex elata imaginandi vi proveniunt. Nemo enimvero hanc veritatem negare poterit, qui animo secum perpendat, cum anima circa unam rem sublimi meditatione versetur, nervorum actionem in ceteris corporis partibus interrumpi, lente absolvi universas functiones, fluidi nervosi secretionem damno affectam videri, dum minori copia minusque perfecta disjungitur, majusque incommodum patitur ejus distributio: qua de causa idem omnibus affectionibus subici potest eorum propriis fluidorum, quae nullo ordine secreta, consistunt ad aliquam partem

Digitized by Google

698

fatigandam. Tunc eo debilitatis ventum est, et ad omnia ea mala, quae ex quiete et lassitudine oriuntur, et via ad nervosas affectiones aperitur. Ipsi cerebro damna importantur, quorum origo, pro mea sententia, ex triplici oeconomiae animalis lege sumenda est. Prima nempe lex efficit, ut anima diu occupata fortissimam in centrum maximum actionem imprimat, nec amplius eam valeat coercere; de quo quidem argumento nuper vobiscum verba feci ac comprobavi, quantum haec actio et vis contineat et alacritatis, ubi semel impressio colatur: altera lege fit, ut humores ad partem ferantur operosiorem; tertia denique, ut animalis fibra longa deficiat exercitatione. Si ad haec omnia diligens actionum omnium functionumque hominum examen adjiciatur, ex nimia imaginandi vis elatione infiniti malorum fontes affluere videbuntur. Quoad facti argumenta, in medium proferre potero exemplum (1) a Tissot enarratum, mirum videlicet casum qui equiti Eperney obtigit, quique imaginandi vis in statum physicum efficaciam satis declarat. Vir hic perillustris postquam assidue quatuor menses opus, quod elucubrandum suscipiebat, meditatus, in eo suam imaginandi vim totam exercuit, sine ullo morbi symptomate barbam, cilia ac supercilia, crines, et omnes corporis pilos amisit: quod quidem confirmat quantum meditatio in nervos, nervique in nutritionem habeant imperium (2).

Accidit saepe numero, ut imaginandi vis re-

(1) Essaix sur les maladies des nerfs.
(2) Gasette de France 23 Fev. 1765.

Digitized by Google

liquum moriturae vitae sustentet, dum illico ipsa valet abruptum animalium spirituum cursum in integrum restituere, et omnia amovere obstacula, quae eosdem pepererunt. Et re quidem vera simplex in vasis actionis accessio a nervosa elatione, instar tonici operosa valde corroborata, satis interdum superque est ad medicinam hydropi, phthisi ac marasmo faciendam. Binae puellae (1) a Mead commemoratae in nostrum apte quadrant argumentum.

Vita nonnunquam adhuc viget propter supervacaneum cerebralis systematis incitamentum ab alicujus eventus expectatione comparatum, et dummodo hic ob quem servabatur haud usuveniat, ipsa procul dubio non desinit: sed cum haec actio praeter solitum obtigerit, mors est illico in promptu (2). Pechlinius cum Galli millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo anno Bataviam invasere, mulierem quandam vidit in gravem morbum incidere statim ac militaris licentia ab ejus complexu filiam divulserat, quam summo amore prosequebatur. Jam alvi profluvium, deliramentum, gangraena, extremum virium defectus in eadem apparuerunt, vix pulsus sub tactum cadebat, et tantummodo ob inaequalem venarum percussum distinguebatur, certissimus tamen proximae mortis praenuncius. Non nisi interrupte, sed multo ardore loquebatur, raptae filiae notitias expostulans; se mori nequire patefecit, nisi puellam prius aspexisset, unde patuit nervosi incitamenti statum tunc temporis ad dilectam filiam prorsus

(1) Monita medica cap. 3. pag. 45.
(2) Observat. physic. medic. lib. tres.

Digitized by Google

spectare nec amplius illi vitam suppetere. Ubi filia octavo post die praesto fuit, ejus genitrix tribus abhinc diebus frigida sine pulsibus jacebat, nec ulla exhibebat sensus indicia: cum repente loquentem filiam exaudiit, animos resumit, eam laete amplectitur, interque amplexus vitam finit.

Sed si imaginandi vis efficacia tum homini, tum mulieri nocet ob varias quas utrique affert affectiones, in graviditatis statu multo perniciosior evadit. Tali erant Veteres opinione, ac praesertim Lacedaemones, qui cum feminae uterum pregnans gestabant, in earum cubiculis formosas Apollinis, Bacchi, Veneris, Junonis ac Minervae effigies ob oculos suspendere solebant, ut dum animum oculosque ad illas adjicerent, per nervos ad se quoque transmitterent spectabilem formarum omnino caelestium venustatem. Nostris hisce temporibus quibus nulla unquam cautio adhibetur a pluribus medicis inanis habita, millia hujuscemodi eventuum in gravidis reperire est. Quid mirum? Nonne imaginandi vis ad nervosum systema prorsus attinet? Nonne ex hujus praestantia nequiter evadent earum rerum perceptiones, quae in illo ideas queunt terroris ac formidinis excitare? Curnam, mihi fas sit expostulare, si sensuum systema suaves gignit impressiones rerum blandissimarum, quae ipsum circumstant, quibusque imaginandi vis elevatur ac transvehitur, curnam, inquam, funestas ac tetras rerum tristium vibrationes, haud etiam edere debeat? Verum haec omnia, aliquis insurget, quoad imaginandi vim, non quoad foetum sunt operosa. At cur-

Digitized by Google

nam quaeso? Uterum ex Sydenamii sententia, affectionum muliebrium dimidium effici, quia cum humano organismo, nervosum illi commercium est. Quid de universis animi pathematibus dicendum erit, quae aut suavia sint, aut injucunda, nervosam potentiam tantopere extollunt? Necopinae cujuscumque generis commotiones nos rapiunt, et praeter modum oestrum inflammant. Sed quomodo, aliquis mihi contra obnitetur, elata imaginandi vis tantum imperii in foetum expediendum, ejusque auctum potest habere? Primo interim fatendum est in praegnanti muliere elatam magis sensilitatem reperiri, quemadmodum etiam quotidiana edocet experientia. Hisce positis legitima fit consecutione, ut externarum rerum vivatiores reddantur perceptiones, atque hinc imaginandi vis, quae coram mirabili aliqua re elevatur hujusce quoque rei impressionem subeat, haec praeterea ad totum organismum transeat quam celeriter, in eaque parte consistat, quae ad eam excipiendam retinendamque ceteris est omnibus accommodatior. Quae pars igitur magis idonea quam uterum novae vitalitatis centrum, et quod aliud centrum in hoc nisi illud foetus invenitur? Quod si deformes terribilesque imagines in eo sculptae non aspiciuntur, id procul dubio ea de causa contingit, quod dum mulier plena afficitur aut formidine, aut tristitia, hoc suum fructum dedecere immo ridiculum, atque horridum efficere opinatur; atque ideo illarum ideam a se studet removere, unde manca ac mutila per curriculi dimidium impressio relinquitur, ubi autem res ex animi pathematibus

Digitized by Google

702

derivetur sicut haec nervosum systema adoriuntur vehementissime, ita debilitatio atque abjectio incitamenti in matre consequitur, atque hinc in corpore, quod in utero vivit velut integri pars consistit. Innumera istiusmodi facta, quae a praeclarissimis viris fide dignis enarrantur, in lucem hic possem afferre ad hujusce argumenti veritatem magis firmandam; sed mihi potius ea studio brevitatis omittere consilium est.

Meae nunc orationi finem impono, moralis in physicum efficaciam pro viribus explicare conatus; eam, inquam, efficaciam, quae non amplius modo in dubium revocata, tot praeter consuetudinem in humani organismi statu phaenomena parere valet.

THESES

I.

Febris quae gastricam affectionem subsequitur, tanquam irritationis status in nervoso systemate habenda est.

II.

Morbi omnes cum nervosis phaenomenis semper consociantur, prout organi affecti sensilitas magis minusve expostulet.

III.

Tartarus emeticus non veluti quoddam diathesimetrum, ut nonnulli volunt, considerari debet, dum varia individuorum quibus sufficitur constitutio spectanda est.

99 938575

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google